



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Praxis Cvræ Pastoralis Præcipve Circa Repentina & Generaliora**

**Possevino, Giovanni Battista Bernardino**

**Coloniæ Agrippinæ, 1645**

Officia quæ relinquenda pœnitenti.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42220**



desunt peritria, mendacia, vectigalium fraudulenta auersio, aliaque eius ordinis permulta.

Plerique epifcopes festis æquè, ac profanis diebus ita occupantur, vt nunquam neq. cultui diuino vacent, neque conciones frequentent, nec se solum, sed ad similem modum totam distentam familiam habeant.

Quam ob rem magno numero inueniet Confessarius inter eos, qui talia exercent, omnem vitam ferè in peccatis mortalibus duxisse, qui quidem absolutionis capaces existimari non debent, nisi diligentia prius accedat, qua simul & ab inuolucris huiusmodi liberentur, & fortiores contra peccatum reddantur.

*Plurimi nunquam vt oportet sunt confessi.*

Quòd si Confessarius posuerit maiorem industriam in ijs examinandis, non dubium est, quin plures deprehendet, qui nunquam, vt oportuit Sacramento Pœnitentiæ peccata sua expiarint. quod cum fuerit ab eo animaduersum, ostendat eis præterquam, quod de emendatione maiorem probationem facere debebunt, vel opificij genus in quo sunt, deserere, etiam totius vitæ confessionem instituere, ac studio vehementi in salutem suam incumbere tenebuntur.

*Officia quæ relinquenda pœnitenti.*

Multò magis Confessarius circa ea officiorum, actionumque discrimina extirpanda adlaborare debet, quæ nullam vel necessitatem Reipub. vel utilitatem secum ferunt; quæ quamuis ex priori ordine rerum non sit (illæ enim per se ad peccatum mortale inducunt, ac propterea necessario à quouis homine quocumque in sta-

tu re-



tu relinqui debent) nihilominus tamen ad male agendum inflectunt, ac facillimo negotio sepiissime ad diuersa peccata trahunt, vt choreis interesse, agere cum blasphemis, versari cum scurris, malorum se sodalitatibus hominum adiungere, tabernas frequentare, otio indulgere, similesq; actiones, in quibus vt plurimum peccare mortaliter homines solent, qui quidem ante non debent absolui, nisi animo abalienato penitus illa ipsa se deserturos esse polliceantur.

Et quidem si probabiliter sibi Confessarius persuadeat, posse se fidem primæ vel secundæ à pœnitente sibi promissionis factæ dare, quod scilicet occasionem auferat, poterit eum promissionis intuitu absoluerè, sin autem fidem semel atque iterum fregerit, ac tertio iam idem polliceatur, absolutionem differat, vsque dum re ipsa videat pœnitentem se omni peccato liberasse, in quo prius vixerat.

*Contractus qui deserendi.*

Eos præterea, qui contractis nostris Concilij Prouincialibus nominatim prohibitos, vel per se aliàs illicitos exercent, non absoluat, nisi prius rescindantur, satisfactioque conueniens pro eis præstetur. Si contractus dubij sint, antequam absoluat, ad Pœnitentiarium maiorem rem totam reijciat, qui quidem illius explicationem ampliorem penes nos inueniet: sed hoc tempore si pœnitens sufficientem dederit cautionem, quod futuræ definitioni sententiæque acquiescet, poterit eum absoluerè, & ad communionem admittere.

*Iubi-*